



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Mittat tibi auxilium de sancto, Et de Zion tueatur te.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

hæc dei magnalia petantur, immo nec principes sunt, sed pores in uolutabris suis, Qui autem ex animo populi salutem querit, nunquã sine tribulatione erit, Nota;
 aduerfabitur enim ei Satanas & totus orbis.

Protegat te nomen dei Iacob, Non gladius, non clypeus, non thorax, nec ullum aliud præter nomen dei, psal. xliij. Nõ enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me, quomodo autem & quibus armis protegit nomen dei? Scilicet fide & inuocatione sui, sicut Iohel dicit: Omnis qui inuocauerit nomen domini, saluus erit, Et Prouerb. xvij. Turris fortissima nomen domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur, sic enim inuisibili uirtute protegetur, seu exaltabitur, eadem enim hic & illie dictio est, quæ magis exaltationem significat, quæ protectionem, Isaix. ix. Eleuabit dominus hostes Razin super eum, Pura erga fiducia in deum, opus est rectori populorum, ut nec præsumat in uiribus, nec desperet in impotentia sua. Idem est apud dominum, saluare in multitudine & in paucis, ut, j. Regum. xliij. & ij. Paralippome. xliij. scribitur.

Apposite autem & tempestiue dicit, Nomen dei Iacob, non Israel aut alio epitheto, nomen dei commendans, Iacob enim a planta, supplantator dicitur, quod proprie ad aduersarios & diem tribulationis pertinet, ut per nomẽ dei, princeps populi protectus euadat, uictor & supplantator hostium suorum.

Mittat tibi auxilium de sancto,

Et de Zion tueatur te.

Pro tueatur te, Hiero. Roboret te, Quod magis exprimit fiduciam & uirtutem cordis, qua, qui robustus fuerit, omnibus malis superior facile erit. Ab inuis, mundus ab extra sese tueatur & roborat suos dominus. Contr. mundus ab extra roboratur. Deus ab inuis, mundus ab extra roboratur. Sanctum.
 tur & roborat. Hoc est quod dicit, de sancto, & de Zion. Sanctum enim satis dixerimus, separatim, absconditum, & inuisibile significare, ubi sensus non attingit, & ratio nihil comprehendit, ut de sancto sit, de cælo, & de solo deo, qui in sancto habitat, quo pulchre fidei naturam indicat, quæ credit quod non uidet & expectat fortiter auxilium, nesciens tamen unde ueniat. Homo autem de prophano & eo, quod patet, auxilium petit & expectat, sed uana salus hominis.

Idem per repetitionem est, & de Zion roboret te, auxilio enim roboratur, ut repetita oratio & affectum augeat & certum auxilium præmittat. Quid autem de Zion dicitur? utique non de Aegypto, nec Babylone, pro suo enim tempore loquitur, cum dominus in Zion habitaret & coleretur, ac si dicat, Nõ extra te curras, sed intra te robur domini expectes, ueniet si tu non discedas, roborabit, si nusquã roborari quæras, non enim fugientibus, sed fortiter expectantibus uenit. Nec hoc uersu aut ullo alio, fuga consulit tribulationem eua, Tribulatio, fuga nõ euadenda.
 dere, sed constantia & occurrit, in fide nominis dei uincere. Sic enim deus, quemlibet suum hominem tutatur ex ipsomet, non per auxilium hominum, cuius rei exempla sunt, quod populum Israel sæpius liberauit, nullis in circuitu gentibus adiuuantibus, sed cunctis aduersantibus, sola præsentia sui in Hierusalem & Zion per uerum cultum suum. Et quoties non de Zion, sed Aegypto aut Assyrijs auxilium expectauerunt, toties ceciderunt, & baculo aridino innixi peius collisi sunt.

Na ij Et uox

*Zion nunc est
totus orbis.*

Et uox de Zion, emphasin suam habet, Specula enim dicitur non tantum, quod nos per fidem speculemur seu presentem deum habemus, sed quod & ipsi oculi domini super nos aperti sunt, sicut dicit psal. xxxiiij. Oculi domini super iustos, Et, xxxj. Firmabo super te oculos meos, Id quod olim, super solam Zion, tunc electum sibi locum faciebat, Nunc Zion est totus orbis, ubique enim creditur in deum, ibi uidet & uidetur deus deorum in Zion, sicut & psal. iij, diximus, de lumine uultus domini super nos, Recte autem uersus hic sequitur precedentem, quia exaltari in nomine domini super hostes non contingit, nisi de caelo roboretur cor principis, ut hoc uersu, uelut causam & modum reddat precedentis uersus.

Memor sit omnis sacrificij tui,

Et holocaustum tuum pingue fiat.

Sela.

Fide gratificamur deo.

Et hic uersus Tautologicus est, quales ferme omnes huius psalmi sunt. Pre dicti autem duo personam deo commendauerunt, quæ non nisi fide pura gratificatur in conspectu dei, his duobus sequentibus opera eius commendat, recto & pulchro ordine, sic enim respexit dominus prius ad Abel, & postea ad munera eius. Insuper hic uersus sacrificium, sequens consilia & studia commendat, ut prius sit facere quod dicere, prius significare quod petere, Multi enim dicunt, Domine domine, & non autem faciunt uoluntatem patris, immo contraria faciunt, ideo & oratio eorum fit in peccatum. Et uidemus hic non orari, nisi pro bono & pio principe, neque enim impius orat, ut exaudiatur, neque credit, ut de sancto roboretur, & si foris sacrificet opere seu simulet potius se sacrificare. At hunc suum principem non facit sacrificare, sed sacrificanti optima precatur, nisi dixeris, quod sacrificium principis, sit commune populi quoque, in quo pij aliqui sunt, quorum precibus & ille postuletur bonus & saluus fieri cum illis.

Princeps impius non orat.

Sacrificia in noua lege abrogata.

Nota bene.

Euincit autem hic uersus, Dauid fecisse hunc psalmum, ut pro se oraretur a cantoribus a se institutis, quia sacrificium & holocaustum ritus Mosaii memorat, quæ in noua lege abrogata sunt, non quod mala fuerint, sed quod impleta sint per Christum, & fiduciam iustificationis præstabant superbis, Nihil enim peccaretur, si hodie, ritu eodem, quisquam sacrificaret, modo id faceret, nulla fiducia iustitiæ, aut necessitate conscientie, libera enim & licita sunt omnia, quæ contra fidem non sunt.

Externa uariant, interna manent.

Non tamen ideo psalmus hodie & alij orandus non est, sicut enim alia persona, alia causa, aliud tempus, alius locus, in noua lege sunt, ita & aliud sacrificium, eadem tamen fides & idem spiritus, per omnia secula, loca, opera, personas manent. Externa uariant, interna manent, Non enim in omnibus est unum opus, sed una fides, nec ubique unus seruus, sed unus dominus. Et diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, & diuisiones ministracionum sunt, idem autem dominus, & diuisiones operationum sunt, idem autem deus, qui operatur omnia in omnibus, Sic, qui in Abraham circuncisionem uoluit, idem in nobis baptismum uoluit, eadem prorsus uoluntate, & in eadem prorsus nostra fide, diuersa tamen operatione, oportet enim Ecclesiam ab initio mundi altare Christo circumdare, tam uarietate, & dispensatricem esse multiformis gratie dei secundum diuersitatem membrorum, temporum, locorum & causarum, quæ mutabilia sunt & uaria, ipsa